

*terni nostri affectus, utpote amor, reverentia, timor &c. necessitate naturali per actus externos se prodere soleant.*

§. 3. Est tamen hic caute procedendum. etenim pro lubitu electus cultus Deo minime placet, ideoque cultus Deo gratus ad ipsius voluntatem instituendus erit.

§. 4. Ut itaque scias, qualem cultum externum ratio Deo gratum declaret, observa hanc regulam: *Omnis cultus externus, qui veram animi pietatem exprimit indeque propullulat, est rationalis, qui vero ad corruptam humani generis indolem relationem habet, irrationalis & superstitiosus habetur.* Atque ita omnes actus externi, qui sunt signa interni amoris, obedientiae, reverentiae, venerationis & fiducia erga Deum, exhibent cultum Deo gratum & acceptum; & e contrario illi actus externi, qui sunt signa interne stultitiae, ambitionis, avaritiae ac voluptatis efficiunt cultum Deo ingratum & abominabilem.

§. 5. Ex quibus palam est.

I. *Cultus externi & ceremoniarum moralitatem in eo consistere, ut mens nostra recurrente uxo objecto sibi in memoriam revocet alterum.*

II. *Cultum externum ceu naturale internae pietatis signum non posse non esse simplicem, ritibusque paucissimis constantem, ut proinde cultus externus, infinitis & theatralibus ceremoniis instructus, pro superstitioso sit reputandus.*

III.